



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

126. An Regulares in foro co[n]scientiae possint uti privilegiis suis quæ
sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum, ut v. g. an Regulares in
foro co[n]scientiae possint ordinari ante legitimam ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

RESOL. CXXVI.

An Regulares in foro conscientie possint vti privilegiis suis, que sunt expresse reuocata per Concilium Tridentinum, vt v. g. an Regulares in foro conscientie possint ordinari ante legitimam etatem, &c. Ex p. 3. tract. 2. Ref. 59.

Sup. hoc supra in R. 85. §. Sea po quarto, a lin. §. vers. Est conclusio, & infra in Ref. 15. §. Quarto, & in alio §. eius nor. & in to. 2. tr. 5. ex la ra doctrina R. 88. §. Qui etiam, inter medium, & finem à vers. an dicta privilegia, sed lege tam per totam.

Et pro vlt. quaest. posita ad lin. 4. an te finem §. huius R. in tom. 2. tr. 5. R. 85. §. Affert tertio, & lege etiam aliam R. eius not. & infra ex R. 255. §. vlt. in principio.

§. 1. **R**espondeo negatiuè cum Portel in *dub. Regul. verb. privilegium, n. 64.* Miranda in *manuale Pralat. tom. 1. q. 39. art. 1. concl. vn. Io. de la Cruz de statu Relig. lib. 2. c. 3. dub. 1. concl. 2. & 3.* Emanuel Sà *verb. Relig. n. 56.* & alij.

2. Sed affirmatiuam sententiam tueritur Henriquez *lib. 7. cap. 24. in glosa lit. K. Vega in sum. tom. 1. cap. 62. cas. 4.* Rodriguez in *gg. Regul. tom. 1. quæst. 8. art. 9.* Sanchez in *sum. tom. 2. lib. 5. c. 4. m. 16.* Beia *p. 4. cas. 38.* Compendium Societatis *185 v. verb. Concilium Trident. §. 3.* Cabucinus, & alij. Et hanc sententiam probabilem esse putat Portel *loco cit. vbi ait.* Et proinde qui voluerit tenere cum Rodriguez, Henriquez, Cabucino, & compendio Societatis *185 v.* non condemnno. Ita ille. Et ratio est, quia hoc privilegium Regularium concessit Pius V. & licet Greg. XIII. reuocauerit illa, quæ Pius V. concesserat contraria Concilio Trid. solum reuocauit, vel pro foro externo tantum, vel reuocauit solum constitutiones scriptas, non verò oracula viuæ vocis, quæ non sunt constitutiones. Sed anstante hac opinione possint Regulares ordinari in foro conscientie ante legitimam etatem affirmant Emanuel Sà *ver. Religio, n. 56.* sed optimè negat Valquez in *3. part. tom. 3. disp. 246. cap. 4. num. 43.*

3. Notandum est tamen hic obiter cum Portel *vbi supra num. 65.* quod quando Pontifices dicunt in confirmatione Privilegiorum (dummodo sacris Canonibus, & Concilio Trident. non aduersentur) illud, *sa-cris Canonibus*, non intelligitur de Decretis contentis in iure Canonico; his enim multa privilegia clarè sunt contraria, sed intelligitur de Canonibus positis in eodem Concilio Trident. in illo enim sunt etiam Canones, & Decreta.

RESOL. CXXVII.

An Superior Regularis ex industria differens mittere subditum ad Episcopum Diocesannum ordinantem, vt postea illum mittat ad alium Episcopum, peccet mortaliter, & incurrat penas, stante Decreto Clem. VIII. sub die 15. Martij 1596.

Et an Superior Regularis contra dictum Decretum mittens suos subditos ad ordines suscipiendos, si missus Ordines non suscipiat, dicat penas nisi omnino incurrat? Ex p. 9. tr. 8. & Misc. 3. Ref. 59. alias 58.

Sup. hoc in Ref. seq. §. Congregatio, in fine, à vers. & dum ipsi Regulares, & §. seq. & in tom. 2. tr. 5. R. 35. §. vlt. & in to. 3. tr. 8. & R. 21. lege vlt. lin. §. Nec obitat.

§. 1. **N**egatiuè respondet nouissimè Pater Bordonus in *Consil. Regular. tom. 2. resol. 67. numer. 39.* Tum quia in Decreto duæ transgressiones spectari possunt. Prima est quando Prælatus regularis licentiat suum subditum ad extraneum, dum Diocesanus eo tempore ordinationem haberet; eo enim casu transgressio est gravis, & præiudicialis Iuribus Episcopi, quia ei de facto auferit subditum. Secunda est, quando Prælatus regularis differt, vel remouet subditum in ordine ad ordinationem, & facit vt suus subditus ab alio ordinetur Episcopo, in quo sensu transgressionem non puto mortiferam, nam non est grauis violatio Decreti, quia non continet verba præceptiua, neque materiam principalem, seu principale dispositum, quod est, vt quilibet religiosus recipiat Ordines ab eo Episcopo, in cuius Diocesi

si moratur, quoddam verò differatur licentia, vel quoddam remouetur ad alium Conuentum se habent in consequentiam ad dispositionem decreti, & sic eius transgressio in his erit solum venialis. Neque in his casibus graue inferetur præiudicium, quia Episcoporum curant ordinationem huius, vel illius Religiosi hic, & nunc; & Ius quod habent si per Religiosos, quoad ordines, est variabile iuxta mutationem Religiosorum, qui modo in vna Diocesi, modo in alia habitant; neque enim habent permanentem mansionem. Neque obstat argumentum à penis inferri graue peccatum; quia responderi potest, non valere argumentum à grauioribus penis ad grauiora peccata, *Glossa versic. Existimes, capite ad. monere 33. question. 2.* præterea pena excommunicationis grauiissima est, & tamen quandoque transgressio alicuius rei prohibita sub pena excommunicationis non est peccatum mortale ex iis, quæ docent Caietanus, Castus, & Nauar. *capite 23. numero 53.* Demum dici potest, penas in Decreto expressas non extendi ad hos casus, sed solum ad principalem dispositionem, ibi, *Litteras dimissorias concedere ad Episcopum Diocesannum, nam solum ad hanc aptantur, ibi: quoddam qui non fecerint, id est, qui non dederint litteras dimissorias ad Episcopum Diocesannum, incurrent penas ibidem inflictas; quæ verba accomodari non possunt prædictis duobus casibus negatiuè conceptis. Hæc Pater Bordonus vbi supra.*

2. Verùm his non obstantibus, opinionem affirmatiuam docet Peyrin. de Prælato, *quæst. 3. capite septimo, num. 4.* vbi sic ait: Quæro, an Prælatus differens mittere suos subditos ad suscipiendos Ordines, eo tempore, quo Diocesanus, vbi moratur, ordinationes celebrat, vt quando non celebraverit, occasione sumpta, mittant ad alium quemcumque, peccent, & incurrant penas dicti decreti? Respondetur, mortaliter peccare: tum quia contrariunt decreto Papæ in materia graui: tum quia Diocesano Episcopo præiudicant. Possunt tamen excusari à mortali, si id bona fide faciant credentes vel id sibi licere, vel non esse peccatum, sed solum teneri ad penam, si in foro exteriori conuincerent. Item possunt excusari, si Episcopus Diocesanus habeat examinatores valde rigidos, seu etiam malignos erga regulares in genere, vel in specie, & aliqui subditorum sint aliquanto debiles, de quibus illis cerè confet, quod non approbarentur; tunc enim potest illos constituere locales in alio conuentu alterius diocesis, in qua non tam rigorosè cum Regularibus agatur. Quod constat: quia potest regularis qui solum scit legere, & scribere absque Grammatica, ad quemcumque Ordinem promoueri: sed hic, si in aliquo Episcopatu permancat, nunquam ordinabitur, quia in eo non ordinantur, nisi qui bene callent linguam latinam: ergo potest per Prælatum mitti in alium Episcopatum, in quo non tam rigidè cum eo agatur. Quod ad penas autem aduerte, quod non incurrant ipso facto; ait enim Papa: qui non fecerint, &c. penas incurrent. Qui modus loquendi insinuat, penam esse solum comminatoriam & insinuat, penam ipso facto inflictam, iuxta ea, quæ cum multis docet Sayrus de Censur. *libro primo, capite 11. numer. 12. & 13.* Adde, quod etiam si dicta pena punitiua esset ipso facto, non tamen incurritur in conscientia, sed semper requiritur Iudicis sententia saltem declaratoria facti; quia nemo tenetur tam rigorosam penam in se exequi. Et hæc omnia docet Peyrinus *loco citato*, & post illum Tamburinus de Iure Abbatum, *tomo secundo, dissertatione secunda, questione 18. numero 6.* quibus ego adhaereo.